



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXXII. An intelligat Angelus per discursum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Nam & cœlestes mentes à Dionys. dicuntur. Est autem hæc differentia inter cœlestia & terrena corpora, quod corpora terrena per mutationem & motum adipiscuntur suam ultimam perfectionem: corpora vero cœlestia statim ex ipsa sua natura suam ultimam perfectionem habent. Sic igitur & inferiores intellectus scilicet hominum, per quandam motum & discursum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiscuntur; dum scilicet ex vno cognito in aliud cognitum procedunt. Si autem statim in ipsa cognitione principij noti inspicerent, quasi notas omnes conclusiones consequentes, in eis discursus locum non haberet. Et hoc est in angelis, quia statim in illis, quæ primo naturaliter cognoscunt, inspicunt omnia, quæcumque in eis cognosci possunt. Et ideo dicuntur intellectuales, quia etiam apud nos ea, quæ statim naturaliter apprehenduntur, intelligi dicuntur. Vnde intellectus dicitur habitus primorum principiorum. Animæ vero humanæ, quæ veritatis notitiam per quandam discursum acquirunt, rationales vocantur. Quod quidem contingit ex debilitate intellectualis luminis in eis. Si enim haberent plenitudinem intellectualis luminis, sicut Angeli, statim in primo aspectu principiorum totam virtutem eorum comprehenderent, inueniendo quicquid ex eis syllogizare posset.

Ad primum ergo dicendum, quod discursus quædam motum nominat. Omnis autem motus est de vno priori in aliud posterius. Vnde discursiva cognitio attenditur secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod prius erat ignotum. Si autem vno inspecto simul aliud inspicatur, sicut in speculo inspicitur simul imago rei & res, non est propter hoc cognitio discursiva. Et hoc modo cognoscunt angeli res in verbo.

Ad secundum dicendum, quod angeli syllogizare possunt tanquam syllogismum cognoscentes. Et in causis effectus vident, & in effectibus causas, non tamen ita quod cognitionem veritatis ignorare acquirant syllogizando ex causis in causata, & ex causatis in causas.

Ad tertium dicendum, quod experientia in Angelis, & dæmonibus dicitur secundum quandam similitudinem, prout scilicet cognoscunt sensibilia præsentia, tamen absque omni discursu.

Conclusio est. Angeli non cognoscunt discurrendo: eam vero non limitat S. Thom. ut locum habeat so-

lum circa intelligibilia, quæ naturaliter angelis cognosci potest, non circa supernaturalia mystica, de vtriusque men disput. seq. dicemus.

DISPUT. CCXXII.

An intelligat Angelus per discursum.

Dua opposita Scholasticorum sententia, 6.1.

Prior pars probabilioris opinionis, 6.2.

Posterior pars probabilioris opinionis, 6.3.

Solvitur argumentum Scoti & Gregorij, 6.4.

CAPUT I.

Dua opposita Scholasticorum sententia.

Discursus, de quo præsens est controversia, ex sententia Logicorum nihil aliud est, quam collectio vnius notitiæ & cognitionis ex alia, ut cum intellectus ex eo, quod de re aliqua notum intelligit, movetur ad intelligendum aliquod aliud de eadem re: hoc pacto notitia, quæ movetur, hominem esse rationalem, movetur ipsam, intelligat, esse etiam risibilem. Quare id, quod per discursum intelligimus, non est nobis per se patens & intelligibile, sed per aliud prius notum, aut causaliter cognitum. Contra vero quid sine discursu intelligere, est illud esse notum per se, non per aliud prius notum. Eliguntur difficultas proposita, vtrum ea, quæ Angelus cognoscit, cognoscat per discursum, an omnia aut ei per se nota sine discursu, indubitatum autem est, quædam esse Angelo per se nota & sine discursu, quando & hominibus aliqua etiam, quæ sunt prima principia hoc modo nota sunt. Alii vero aliqua sine Angelo per discursum nota cognitionem habet.

Prima autem sententia est eorum, qui dicunt, quod ab Angelo aliqua non minus per discursum cognoscitur, quam ab homine, etiam si illa sunt intellectus ipsi naturaliter & evidenter nota. Ita docet S. Thomas in 2. 2. q. 1. §. 5. *Contra conclusionem, paulatim veritas.* Contra secundam viam, & dist. 1. q. 1. §. 1. *Contra animam, veritas. Item queritur, & in 3. part. princ. quest. 4. & 5. laterali in principio, Gregorij 1. dist. 3. quest. 5. art. 2. Otiam in 2. quest. 16. contra secundam dist. 3. quest. 2. art. 3. p. 1. articuli conclus. 5. Preceptum autem fundamentum huius sententiæ est, quia ad rationem discursus non est necessaria aliqua mora, aut temporis intervallum: sed in vno temporis momento esse potest: solum autem requiritur ut principium sit prius notum natura, & in causa cognoscendi aliud: hoc autem contingit in Angelis, ut docet Gregor. & in beatis, ut docet Scotus in illa quest. 3. prologi: quia non omnes veritates, quas Angelus novit, medio vacant, & sunt ei per se notæ. Idemque de beatis dicendum videtur. Si enim omnes veritates essent illis per se notæ, & relatæ ad eorum intellectum medio vacarent; nobis etiam essent per se notæ, & medio vacarent: verbi causa hæc propositio, *Solus discipulus*, est quidem evidenter nota Angelo, sed non aliter, quam Astrologo: huic autem non est per se nota, & medio vacans: Alioquin si Angelo aut Astrologo esset per se nota, & medio vacans, nobis etiam omnibus esset, quod est absurdum: ergo nec angelo erit per se nota: est igitur aliqua propositio nota angelo non per se, sed ex alio, sicut hæc ex eo nota est, quia cognoscitur Sol fuisse*

rus in tali puncto & oppositio cum Luna: hoc autem est discursus: ergo angelus circa obiecta ipsi etiam naturaliter nota discursus. Ceterum hic modus discurrendi non est in Angelis ex notis ad ignota, quasi prius tempore in angelo præcesserit notitia unius, quam alterius; sed in eo tantum positus est, ut ex ijs, quæ simul tempore nota sunt, unum sit causa cognoscendi alterum.

Addit præterea Gregor. & cum eo conveniunt Gabriel, & Ocam, in angelis quoque circa huiusmodi obiecta posse esse discursum ex notis ad ignota, seu cum mora aliqua temporis, quod idem est. Probat, quia si mundus, & motus illius duraturus esset in æternū, Eclipses infinitæ futuræ essent, quas omnes Angelus simul non cognosceret: intelligo autem tam bonum angelum, quam malum, tamen Gregor. solum loquitur de malo: tunc igitur posset paulatim discurrere per mille annos, & deinde per alios mille, ex notis ad ignota semper procedens. Hæ rationes, si alicuius momenti sunt, non solum probant, Angelum posse, si velit, utroque modo discurrere: verum etiam, utrumque genus discursus circa aliqua obiecta naturalia, ei ita necessario convenire, ut non possit aliter, quam per discursum intelligere.

Porro inter obiecta supernaturalia, aliqua ab Angelo per discursum intelligi, coguntur asserere omnes, qui præcedentem sententiam tradiderunt cum maior ratio esse videatur, ut circa supernaturalia obiecta Angelus discursus, quam circa naturalia. Sed expresse de supernaturalibus, aut de ijs, quæ non nisi supernaturali revelatione certo cognoscuntur, Angelo concedunt discursum, seu coniecturam, quod idem est, Ocam quasi illa 16. conclus. 6. Et Gabriel art. 11. 3. par. 2. conclus. 8. de secretis enim cordium hoc modo Philosophantur, ut quamvis propria virtute intellectus angelici cognosci possint: de facto tamen ab Angelo non cognoscantur notitia clara & evidenti, sed tantum coniectura quadam, eod quod ab evidenti & clara secretorum notitia à Deo impediuntur. Eandem coniecturam solum concedunt Angelo de mysterijs gratiæ, & de rebus libere futuris: & addunt, propria virtute ab Angelo cognosci non posse. Denique Marfil. in quasi. 2. 6. art. 2. notabili ultimo, & conclus. 1. docet, secreta cordis humani ab Angelis solum per discursum cognosci: & merito quidem quia coniectura, quam solum illis Theologi concedunt, idem omnino est, quod discursus. Ratione vero probatur: nam cum hæc tria, quæ diximus, nempe secreta cordis, mysteria gratiæ & futura liberi arbitrij, non sint Angelo per se nota, sequitur, ea solum ab Angelo posse cognosci per aliud: cognosci autem per aliud, idem est, quod per discursum cognosci, ut initio notavimus. Ea vero non esse Angelo per se nota, manifestum est: quia non sunt Angelo evidenter nota, ut omnes fatentur: quæcumque autem per se nota sunt alicui intellectui angelico, sunt ei evidenter nota. Secunda opinio est Caiet. in artic. 5. huius quæst. 5. ad hanc dubitationem, quam putat esse S. Thom. eamque Thomistæ libenter amplectuntur, quæ asserit, tam in rebus supernaturalibus, quam in naturalibus Angelum sine discursu intelligere: quibus favere videtur S. Thom. quasi. 8. de veritate, artic. 15. ad 2. Vbi de obiectis supernaturalibus loquitur, & in solut. 4. vbi de cordium secretis sermonem habet. Ratio vero Thomistarum, quam

videtur insinuassee Caiet. cum de compositione & divisione respectu angelici intellectus disputavit, hæc est: angeli eodem modo cognoscunt obiecta supernaturalia, quo naturalia, quia lumine supernaturali eodem modo utitur eorum intellectus, quo naturali, & supernaturalia ab Angelo cognoscuntur instar naturalium rerum, sicut & nos etiam cognoscimus: sed naturalia cognoscit Angelus sine discursu: ergo & supernaturalia. Minor propositio huius rationis confirmatio indigebat, sed quia hanc sententiam existimo ea parte esse probabiliorē, inferius eam magis confirmabo.

CAPUT II.

Prior pars probabilioris opinionis.

PROBABILIOR opinio, meo quidem iudicio, inter hæc duo extrema medium tenens duo asserit. Vnum est, angelum intelligere omnia naturalia obiecta, quorum habet propriam speciem, sine discursu. Alterum est, obiecta supernaturalia secundum substantiam, & ea, quæ sunt ordinis naturalis secundum se, sola tamen revelatione angelo nota, ita ab angelo cognosci, ut in eorum notitia non nihil habeat discursus, non tamen omne illud, quod in nostro discursu invenitur. In hoc autem capite priorem solum partem confirmare contendam: in sequenti vero posteriorem. Priorem igitur partem in primis ex Scholasticis tradiderunt S. Thomas, Caietan. & recentiores Thomistæ in hoc articulo Ferrar. 3. contra gentes cap. 91. in fine Capreol. in 2. dist. 3. q. 2. art. 1. conclus. 10. Ferrar. Aegidius in 3. dist. 3. par. 2. q. 2. art. 3. & in hoc primæ sententiæ Scoti, & aliorum adversamur. Contentunt autem nonnulli autoritate confirmare; & primum ex varijs locis Dionys. sed nullus est, qui meo iudicio aliquid probet. Deinde ex August. in 4. Genes. ad litteram cap. 29. ibi tamen solum docet, Angelos simul in verbo matutina cognitione intuitu creaturarum rationes, vespertina autem cognitione in ipsismet creaturis earum rationes cognoscere, quod quæ ratione intelligendum sit, supra explicatum est disput. 1. cap. 2. & 3. de discursu autem, de quo modo nobis est controversia, ne verbum quidem habet: quod enim simul ea omnia cognoscantur, non tollit veram rationem discursus, ut infra ostendemus. Postremum alijs autoritate Bernardi in serm. 5. super Cantica parum antedictum, hanc sententiam confirmant. Verum Bernard. eo loco solum docet, Deum inuisibilem cognosci per hæc visibilia à creatura mundi, id est, ab homine in hoc mundo de gente, sed, non loquitur de Angelis adhuc viatoribus.

Cæterum ratione etiam varie probari solet eadem opinio. S. Thom. id hoc articulo præsertim in solutione 1. ad rationem veram discursus expositam videtur morum aliquam temporis, ut ita ex prius notis ad posterius nota procedat intellectus, cumque Angelus sine mora temporis intelligat quæcumque cognoscere potest: sequi videtur, nullum in eius intellectu reperiri discursum. Verum negare non possumus Scoto, & alijs suæ opinionis, ad veram rationem discursus moram aliquam temporis minimè requiri, sed in eodem instanti verum discursum esse posse: nam si in eodem temporis puncto posset Angelus duo cognoscere, non vno simplici actu, sed duobus: &

Ddd 2

vnius

vnus cognitionē ex cognitione alterius eliceret: eius cognitio veram rationem discursus haberet. Porro autem minimē repugnat, in eodem intellectu simul esse duas notitias, & vnā ex alia oriri: sicut enim simul est corpus lūminosum, & lumen ab eo in medio productū: eodem modo esse poterit in intellectu primaria quādam notitia, & alia quali secundaria, ordine tantum causæ orta à primaria: hoc vero iactō fundamento enitendū nobis est demonstrare, non posse Angelum obiecta naturalia, & naturali virtute sibi euidenter nota, per discursum intelligere.

Prior vera
ratio.

Alij vero de ratione discursus putant esse ignorantiam in eo, qui discursit, ita, vt discursus sit processus ex notis ad ignota: & hac ratione in Christo fuisse consultationem, negat Damasc. 2. de fide, cap. 22. Verum quamuis ex hac parte non repugnaret in Angelo esse discursum, quia aliqua ignorare potest: tamen quia de ratione discursus non est ignorantia, nisi cum primum eo vtimur vt ostendam etiam 3. part. disput. 52. cap. 3. idēd hac ratione non est probandum in Angelis non esse discursum.

8.

Duabus igitur de causis existimo, plenam, & perfectam rationem discursus in Angelis non reperiri. Prior est, si dicamus, vt probabilior opinio fert, quamcumq; rem naturalem cum suis proprietatibus naturalibus vnico simplici conceptu ab angelo cognosci; nam sicut vnica habet speciem impressam in actu primo, qua cognoscere possit rem, & proprietates illius, imō etiam vnica habet speciem impressam pro pluribus naturis diuersis intelligendis; etiam vnico simplici conceptu formali elicitō ab hac specie quamlibet naturā & proprietates eius cognoscet: hoc autem modo vera & integra ratio discursus circa hac obiecta in angelo non erit, quæ in hoc cōsistit, vt vnus conceptus ex alio tanquam ex causa oriatur.

Posterior
ratio.

Posterior causa, ob quam dicendum est, in angelo non esse discursum circa obiecta naturalia, quæ naturali virtute ab angelo euidenter cognoscuntur, est, quia quamuis angelus cognosceret quamlibet rem & proprietates illius, seu accidentia pluribus cognitionibus: tamen notitia vnus non esset causa notitiæ alterius: cum enim angelus cognoscat res naturales, proprietates, & accidentia illarum propria, & (vt aiunt) intuitiua notitia, eodem modo, quo sunt à parte rei: vnum quodque illorum ita est ei per se notum, vt non sit aptum per aliud ab eo cognosci eo genere notitiæ, quam vocamus intuitiua & propriam: & quamuis id, quod est causa alterius, re ipsa cognoscatur ab angelo, vt causa illius & rursus id, quod est ab alio, vt à causa, cognoscatur ab angelo vt effectus illius: tamen notitia vnus non est causa notitiæ alterius, quandoq; vtrumq; propria & intuitiua notitia cognoscitur, siue sit vna notitia vtriusque, siue diuersa, verbi causa de igne cognoscit angelus naturam illius, & ralem proprietatem, nempe calidum & siccum esse: ita tamen per se notum est angelo, ignem calidum & siccum esse, sicut per se notum est talis naturæ substantialis esse: & ita non potest vnus notitiam ex notitia alterius deducere, tametsi recte cognoscat, calorem & siccitatem ignis ex ipsius substantia oriri: neq; enim minus per se notum angelo est, ignem calidum esse, quam est per se notum, aquam calidam esse cum calefit: quis hoc dubitet? aquam autem cali-

dam esse, ita est intellectui angeli per se notum, sicut est sensui: notitia autem obiecti quod per se cognoscitur, non deducitur ex alia notitia: alioquin & res illa non esset intellectui ita colligenti per se nota. Eodem modo liquatio cere per se sequitur calorem, & tamen liquatio cere per se per se notum angelo non minus, quam esse calidam. Quare cum Logici dicunt inter propositiones, quādam esse per se notas, quas vocamus immediatas, aut medio vacantes: quādam autem per aliud notas, quas dicimus mediatas aut mediata habentes, per quod cognoscantur: intelligi debet hoc non comparate cum intellectu intrinsecum, sicut ipsa est proprio & quidditatiuū cōceptus, sed cum intellectu cognoscente rem per alienos conceptus, sicut nos cognoscimus spiritualia per corporea, & substantiam per accidentia: & quamuis re ipsa vnum sit causa, vt aliud sit, sicut substantia ignis est causa caloris; tamen quilibet effectus in se habet suam entitatem propriā formaliter, quā formaliter est obiectū per se intellectus sicut calor, qui habet causam sui esse haberi in se rationem talis entis, quā sit obiectum per se visum, non quia per aliud prius visum videatur, aut visio illius ex alia priori deducatur; quare cum intellectus angelus, instar oculi clare & distincte intueatur res naturales, quas virtute naturali euidenter cognoscere potest, non dicitur discurrere, nec ex cognitione vnus in notitiā alterius deuenire, tametsi cognoscat, rem vnā ex alia nasci.

Sed quæret aliquis hoc modo, quia igitur ratione dicimus, quādam esse propositiones mediatas, id est, per aliud probabiles, quod nos tamen non in seipsis, quālia sunt prima principia: quādam vero esse mediatas secundū se, & quod nos, quales sunt propositiones, in quibus entitates proprias passionēs de subiecto, hanc namq; non deducimus se, sed nostro tantum intellectu per aliquod medium demonstrabiles sunt: liquet enim intellectui videnti rem sicuti est, nulla est mediata propositio, sed omnis est per se nota; & solum intellectui cognoscenti rem per alienas species, propositio esse potest mediata. Respondēdo solum esse mediatam propositionem, hoc est, per aliud probabilem respectu intellectus intelligētis rem per alienas species, & non sicuti est: discrimen vero esse inter prima principia, quatenus nostro modo intelligendi possunt per aliud probari, & propositiones in quibus passionēs de subiectis predicantur. Nam quamuis vtrumq; genus propositionis intellectui videnti rem sicuti est, fiat per se nota, & absq; medio, & intellectui non videnti rem sicuti est vtrumq; genus propositionis possit esse mediatum: tamen diuerso modo contingit prima principia & alias propositiones demonstrari: nam prima principia solum probantur ab effectibus, & per aliquid posterius, quam demonstrationē vocamus à posteriori, alie vero propositiones demonstrantur per aliquid prius natura, aut causalitate, vt manifestum est: & hac ratione dicimus, principia medio vacare secundum se, quia non habent naturā suā aliquid prius, per quod cognoscantur, sed tantum nostro modo intelligendi per posteriora probantur: at vero alie propositiones secundum se esse mediatas, quia in se natura habent aliquid prius: quod possit, vt medium ad eam demonstrationem assumi.

Hac doctrina, quā diximus, omnem proposi-

Propositi
contingens
quando ve
nit. An
gelo est per
sona.

12.

tionem esse Angelo per se notam, & ideo nullum habere discursum, non solum intelligenda est de propositionibus necessariis, sed etiam de contingentibus, quando actu sunt vere: tunc enim est per se notum Angelo, quod tali propositione enuntiat, ut Petrum esse album, Petrum currere, seu adhuc vivere; sicut etiam nostro sensui per se evidens est tale aut tale obiectum, quod actu sentitur: Philosophari enim debemus de intellectu Angeli, sicut de oculo simpliciter intuenti obiectum, ut supra diximus, & idem iudicium per omnia esse debet de intellectu humano separato, si per species in falsas cognoſcit obiecta proprio & quidditativo conceptu. Hac etiam rat. 3. p. q. 1. r. art. 3. ostendam, Christum scientia sua inſula, quarum essentias quidditative cognoſcit, nunquam per discursum intellexisse: id quod hoc modo publice docui in nostro Collegio Complutensi an. Dom. 1585: & postea ab aliquibus Theologis ex nostris docte probatum & publicatum comperi.

CAPUT III.

Posterior pars probabilioris opinionis.

De cognoscendis
supernaturalibus
aut super
naturali modo
notis intellectu
angelis non
nihil diffi
cultatis.

13.

14.

Posterior pars nostrae sententiae est, in cognoscendis obiectis supernaturalibus, aut supernaturali modo notis intellectum angeli nonnihil habere discursum, non tamen quiddam ad veram rationem discursus requiritur. In cuius confirmationem obervandum est, in omni vero discursu duo inveniri: alterum est, inter plura obiecta, quae necesse est per discursum cognoſci, vnum sit causa seu ratio cognoſcendi aliud, ita, ut priori non cognito per locum intrinsecum, sequatur, aliud non posse cognoſci: Nam eorum, quae superiori cap. diximus ab angelo cognoſci per se, & non per aliud etiam si multa simul cognoſcantur, vnum non est causa seu ratio cognoſcendi aliud. Hoc autem contingere potest in eodem simplici actu, quo quis feratur in duo obiecta, quorum vnum sit ratio cognoſcendi aliud, veluti in opinione eorum, qui dicunt, beatum ex vi visionis essentiae Dei tanquam obiecti primarij, videre etiam creaturas eadem simplici & individua visione. Alterum, quod in vero discursu reperitur, est pluralitas cognitionum & conceptuum: quia non tantum vnum obiectum est causa cognoſcendi aliud, sed etiam cognitio vnius est causa cognitionis diversae, quae versatur circa alteru. Hoc autem ideo dixi requiri ad veram rationem discursus, quia discurrere non tantum est cognoſcere vnum propter aliud, sed etiam conceptum vnius ex alio inferri. Vbi autem colligitur conceptus ex conceptu, necesse est pluralitatem conceptuum reperiri: nam vbi tantum est vna notitia, non dicitur vnum ex alio deduci. Ex his duobus ego existimo illud prius in intellectu Angeli posse reperiri circa obiectum solum cognitum supernaturali modo: quia potest quidem angelus ita cognoſcere aliqua plura, ut vnum sit ratio cognoſcendi aliud, tanquam primarium obiectu: hoc autem hac ratione probatur quia cum angelos non intueatur haec obiecta proprio & quidditativo conceptu, neque evidenter, sed tantum probabiliter coniectura, aut evidenter solum testimonij, quam vocant evidentiā inattestante: sequitur, ea omnia ab angelo cognoſci per aliud ei magis notum: quia nihil horu, quae cognoſcit angelus aut coniectura, aut solo testimonio est ei per se probabile, sed per aliud

Vasquez in 1. p. Tom. 2.

magis notum; nam Christum esse verum Deum ex effectis erat demonibus probabile, non ex se: & eodem modo esset cuicumque Angelo considerato secundum suam naturam tantum. Petrum etiam habere nunquam tale secretum in corde & voluntate, nulli angelo suapte natura est per se notum. Cum igitur angelus habet aliquam de hac re notitiam, nititur priori aliquo noto tanquam principi. Posterior autem, quod dixi esse requisitum ad rationem discursus, nempe pluralitatem conceptionum formalium & notitiaru, existimo non reperiri in angelo, cum haec obiecta supernaturali modo cognoſcit, aut sola coniectura assequitur: nam si verum est, ut superius diximus, plures res omnino diversas, ut plures rerum naturas, ab angelo simul cognoſci per vnam speciem, & per vnum conceptum formalem: cur etiam non dicemus eodem conceptu formali cognoſci miraculum Christi verbi causa, & eius divinitatem, quam miraculu illud indicabat: similiter signum voluntatis & secretum illius: Et hac ratione defendi posset sententia S. Thom. qui vniuersum docet, in angelo non esse discursum. Quod si aliquis nimium contenderet, in his rebus cognoſcendis duos esse in angelo conceptus, formales, & ita integram rationem discursus: non posset facile convinci: tunc autem S. Tho. interpretari possemus de ijs tantum obiectis, quae evidenter, & quidditative ab angelo cognoſcuntur: in quibus ego non dubito vlllo modo ob rationem superius allatam, nullum esse vestigium discursus.

CAPUT IV.

Solutur argumentum Scoti & Gregorij.

Am vero vnicuique argumentum, quod primo capite pro sententia Scoti & Gregorij allatum est, facile dilui potest. Concedamus enim, angelum aliquando devenire in notitiam alicuius rei aut proprietatis antea ignotae: nam fieri potest, ut non statim in principio omnes proprietates consideret: id quod deberemus plane fateri in casu posito in eo argumento de Ecclesijs futura, si mundus duraturus esset in aeternum, ut ratio illa convincit; nihilominus dicimus Angelum non discurrere, quia discursus non contingit ex eo solum, quod vnum cognoſcatur post aliud: sed quia cognitio vnius ex notitia alterius colligitur, quod in angelo non contingit, ut iam ostendimus. Quare in Beatissimis respectu visionis clare Dei non esse discursum, & ipse Scotus facit in illa quaestione prologi. At vero per species, quas habent acceptas a phantasmatis, fatemur beatos discurrere, sicut & ipsum Christum; quia beati retinent modum cognoſcendi, quem in via habuerunt. Sed rogabat aliquis, an possit Angelus, si velit, discurrere in ijs, quae non ita naturaliter, aut etiam in alijs, quae supernaturaliter tantum cognoſcit: Nonnulli recentiores existimant, posse Angelum, si velit, discurrere: sicut etiam nonnulli, quibus fauet S. Thom. 3. p. q. 2. r. art. 2. s. Thomae arbitrantur, posse Christum, & beatum vti speciebus inſus & quidditativis rerum per conversionem ad phantasmata, eodem modo, quo vtitur speciebus abstractis a phantasmatis. Ceterum quidquid sit de usu specierum inſusarum per ordinem ad phantasmata, de quo loco citato disputabimus: nulla ratione potest probari, posse Angelum in intelligendo uti discursu, si velit. Nam

Ddd

si lo

si loquamur de rebus, quas ipse naturaliter nouit
notitia intuitiua & propria, manifestum est dis-
currere non posse tali genere notitiæ: quia hoc
modo res omnes sunt ipsi per se notæ, & euen-
tes, sicut ipsa prima principia: in notitia autem
rerum, quæ per se notæ sunt, non potest esse ali-
quod genus discursus, cum non sit aliquid notum
per aliud. Si vero sermo sit de alijs rebus, quas di-
ximus non esse Angelo euidenter notas naturali-
ter: cum ea, quæ cognoscit hoc genere notitiæ
connexa inter se, ita cognoscat, ut quamuis vnum
sit ratio cognoscendi aliud, ea tamen vnicui actui
indiviso cognoscat: & hic sit modus naturalis
cognoscendi ipsi Angelo: diuidere ipsi non po-
test in plures notitias ea, quæ vnicui simplici con-
ceptu cognoscit, ut enim supra dicebamus, potest
quidem Angelus plura, quæ per vnicam speciem
impressam intelligit, pluribus conceptibus ex illa
expressis intelligere: non tamen simul, sed suc-
cessiue: ut autem discurrat, opus est, ut simul men-
te retineat plures conceptiones, quarum vnā
ex altera deducat.

ARTICVLVS IV.

*Utrum Angeli intelligant componendo &
diuidendo.*

294.
2. d. 3. q. 1.
a. 2. c. 10. q. 1.
m. 1. q. 16.
a. 6. l. 9. m.
204.

AD quartum sic proceditur. Vide-
tur, quod Angeli intelligant compo-
nendo & diuidendo. Vbi enim est mul-
titudo intellectuum, ibi est compositio
intellectuum, ut dicitur in 3. de anim. Sed
in intellectu angeli est multitudo intel-
lectuum: cum per diuersas species diuer-
sa intelligat, & non omnia simul. Ergo in
intellectu angeli est compositio & diuisio.

2. Præterea. Plus distat negatio ab af-
firmatione, quam quæcumque duæ na-
turæ oppositæ, quia prima distinctio est
per affirmationem, & negationem. Sed
aliquas naturas distantes angelus non
cognoscit per vnum, sed per diuersas spe-
cies, ut ex dictis patet. Ergo oportet quod
affirmationem & negationem cognoscat
per diuersa. Et ita videtur, quod angelus
intelligat componendo & diuidendo.

3. Præterea. Locutio est signum intel-
lectus. Sed angeli hominibus loquentes
proferunt affirmatiuas & negatiuas enun-
tiationes, quæ sunt signa compositionis
& diuisionis in intellectu, ut ex multis lo-
cis sacre Scripturæ apparet. Ergo vide-
tur quod angelus intelligat componen-
do & diuidendo. Sed contra est, quod
Dionys. dicit 7. cap. de diuin. nominib.
Quod virtus intellectualis angelorum
resplendet perspicaci diuinorum intel-
lectuum simplicitate, sed simplex intelli-
gentia est sine compositione & diuisione,
ut dicitur in tertio de anima. Ergo
angelus intelligit sine compositione &
diuisione.

Respondeo dicendum, quod sicut in
intellectu ratiocinante comparatur con-

ARTIC. IV.

clusio ad principium, ita in intellectu
componente & diuidente comparatur
prædicatum ad subiectum. Si enim intel-
lectus noster statim in ipso principio vi-
deret conclusionis virtutem, nunquam
intelligeret discurrendo vel ratiocinan-
do. Similiter si intellectus statim in ap-
prehensione quidditatis subiecti haberet
notitiam de omnibus, quæ possunt attri-
bui subiecto vel remoueri ab eo, nun-
quam intelligeret componendo & diui-
dendo, sed solum intelligendo quod quid
est. Sic igitur patet, quod ex eodem pro-
uenit, quod intellectus noster intelligit
discurrendo & componendo & diuiden-
do, ex hoc scilicet, quod non statim in pri-
ma apprehensione alicuius primi appre-
hensi potest inspicere quicquid in ea vir-
tute continetur. Quod contingit ex de-
bilitate luminis intellectualis in nobis,
sicut dictum est. Vnde cum in angelo sit
lumen intellectuale perfectum, cum sit
speculum purum & clarissimum, ut dicit
Dionys. 4. cap. de diuin. nomin. relinquitur
quod angelus sicut non intelligit rati-
ocinando, ita non intelligit componen-
do & diuidendo. Nihilominus tamen
compositionem, & diuisionem enun-
tiationem intelligit, sicut & ratiocinationem
syllogismorum. Intelligit enim compo-
sita simpliciter, & mobilia immobili-
ter, & materialia immaterialiter.

Ad primum ergo dicendum, quod non
qualiscumque multitudo intellectuum
compositionem causat, sed multitudo il-
lorum intellectuum, quorum vnum attri-
buitur alteri, vel remouetur ab altero.
Angelus autem intelligendo quidditatem
alicuius rei, simul intelligit quicquid ei
attribui potest, vel remoueri ab ea. Vnde
intelligendo quod quid est, intelligit
quicquid nos intelligere possumus, &
componendo, & diuidendo, per vnum
suum simplex in.

Ad secundum dicendum, quod diuer-
sæ quidditates rebus in se differunt quæ-
tum ad rationem existendi, quam affir-
matio & negatio: tamen quantum ad ra-
tionem cognoscendi, affirmatio & negatio
magis conueniunt; quia statim per
hoc, quod cognoscitur veritas affirmationis
cognoscitur falsitas negationis oppo-
sita.

Ad tertium dicendum, quod hoc quod
angeli loquuntur enuntiationes affirma-
tiuas & negatiuas: manifestat quod an-
geli cognoscunt compositionem & diui-
sionem, non autem quod cognoscant compo-
nendo & diuidendo, sed simpliciter
cognoscendo, quod quid est.

CONCLUSIO est. Angelus non intelligit componendo & diuidendo, sed simplici conceptu & intuitu cognoscit quaecumque alicui rei conueniunt, aut non conueniunt.

DISPVT. CCXXXIII.

An cognoscat angelus rem esse, vel non esse, per compositionem, seu diuisionem.

De compositione in Angelico intellectu, c. 1.

De diuisione in eodem intellectu, c. 2.

CAPVT I.

De compositione in Angelico intellectu.

Notissima apud logicos res est compositio & diuisio in cognitione: de qua agit Aristot. 1. lib. de interpret. cap. 1. Est autem compositio affirmatio, qua intellectus vnum de alio enuntiat, quam his propositionibus affirmatiuis explicamus, & similibus; Homo est rationalis, homo est albus, &c. Diuisio autem est negatio, qua vnum de alio negamus, & his propositionibus exprimimus, Homo non est equus, homo non est niger. Præsens igitur controuersia est, utrum intellectus Angeli compositione conceptum vnum de alio affirmet: an potius simplici conceptu dicat, & intelligat vnum esse aliud: & de diuisione eadem difficultas est. De compositione autem, de qua in hoc c. differemus, Theologi communiter docent, Angelum intelligere & enuntiare, vnum esse aliud, absque vlla conceptuum compositione, sed simplici tantum intelligentia: ita docent cum S. Thom. in hoc art. Caiet. Et recentiores Thomistæ, Aegidius in 2. d. 3. p. 2. q. 2. art. 3. in principio: Colligitur etiam ex doctrina Durand. in 2. d. 3. q. 3. nu. 7. Affirmat enim, ab Angelo omnia præsentia simul intelligi vnico simplicissimo actu. Hanc sententiam probat S. Tho. quia compositio provenit ex imperfectione luminis intellectus non manifestantis, omnia, quæ rei conuenire possunt, ex quo provenit ut vnico conceptu prædicatum, alio vero subiectum concipiat & inuicem comparans affirmatio vnum de alio componat: cum igitur intellectus Angeli quamcunque rem videns, eodem conceptu cognoscat, quidquid ei conuenire potest: efficitur ut intelligendo non componat. Ego quidem existimo primum ea, quæ sola ratione distinguuntur, non posse ab Angelo per compositionem cognosci aut vnum de alio enuntiare: nam compositio non est, nisi ubi sunt multi conceptus formales diuersi representantes: cum autem intellectus intelligit rem sicuti est, proprio & intuitiuo conceptu non distinguit per plures conceptus formales ea, quæ reipsa sunt idem, ut dist. 118. cap. 2. monstrauimus: ac proinde ut plura non concipit, quæ nos ut plura distinguimus & cognoscimus; sed vnico simplici conceptu rem intelligit: ergo componere non potest ea, quæ nos ut distincta, sola nostratatione componimus.

Deinde dico, ea omnia, quæ alicui rei conueniunt tanquam proprietates, aut communia accidentia, etiam si distinguantur realiter ab ipso subiecto, cognosci ab Angelo, & de subiecto enuntiare absque vlla compositione: quia probabilius existimo, hæc omnia non intelligi ab Angelo per plures species & conceptus formales, sed per eundem: nam cum intelligat quamlibet rem pro-

prio conceptu, mirum non est, si eodem simplici intuitu intelligat quaecumque illi conueniunt. Bene video, hæc non satis demonstrari posse; quia non est manifestum, Angelum cognoscere plura per vnum simplicem conceptum: tamen hoc videtur esse probabilius, & magis conueniens perspicacitati intellectus angelici; ut tam edicamus angelicum intellectum non componere, nihil obstat, obiecta ipsa, quæ cognoscit, esse reipsa distincta: Nam si hoc sufficeret ad compositionem, etiam intellectus diuinus componeret, quandoquidem plura reipsa distincta cognoscit, & inuicem comparat: sed quia ad rationem compositionis requiruntur plures conceptus formales, & Deus plura obiecta distincta cognoscit eodem simplicissimo conceptu, qui est sua essentia, ideo in ipso nulla est compositio. Eadem igitur ratione in intellectu angeli nulla est compositio, etiam si plura obiecta distincta intelligat, quia vnico simplici conceptu ea simul cognoscit.

Postremo mihi difficile apparet, angelum sine compositione intelligere omnia, quæ de re aliqua possunt enuntiare siue naturalia, siue supernaturalia, siue intrinseca, siue extrinseca: Nam de naturalibus intrinsecis facile defendi potest, nullam in Angelo esse compositionem: hæc enim omnia per vnā speciem & conceptum ab Angelo intelligi, difficile non est. Et quidem de his dixit Caiet. intelligi ab angelo per vnā speciem: huiusmodi sunt anima, & corpus in homine, propriæ passionēs, accidentia communia inseparabilia, separabilia & fortuita. At vero cum Angelus cognoscere possit de re aliqua, accidentia supernaturalia, difficile videtur, absque vlla compositione de re aliqua hæc enuntiare & intelligere, siue ea cognoscatur propria notitia, siue per coniecturam tantum, & per alienas species. Primum quidem si propria specie: quia non debemus, asserere eandem speciem esse rei naturalis & supernaturalis, nisi dicamus, infundi Angelo aliam speciem propriam rei naturalis distinctā ab ea, quam habuit ab initio rei naturalis, per quam cognoscatur simul res naturalis & supernaturalis. Deinde, si res supernaturalis cognoscatur per coniecturā, & per alienas species, videtur difficile, per eandem speciem & conceptum cognosci rem ipsam naturalem proprio & quidditatio conceptu, & rem supernaturalem non proprio & quidditatio, sed alieno, & tamen absque vlla compositione: cur enim dicere debemus in vnā simplicem qualitatem conuenire proprium conceptum vnus rei & non proprium, sed coniecturalem alterius? Quod veto ait Caietan. in artic. 5. huius questionis, supernaturalia cognosci ab Angelo per modum rerum naturalium, & ita in illis etiam non esse compositionem: nescio qua ratione efficaci probari possit.

Præterea cum Angelus non tantum enuntiet de re aliqua ea, quæ ipsi intrinseca sunt, sed res omnino diuersas (nam de vna substantia enuntiat quamlibet aliam specie diuersam) difficile videtur, in his non concedere Angelo compositionem. Porro enuntiare ab intellectu Angeli rem omnino diuersam de alia, manifestum est: quia Angelus non tantum negat rem vnā de alia, dicendo vnā non esse aliam, sed etiam affirmat vnā ab alia differre, & vnā esse alteri contrariam, aut diuersam, aut denique aliquo modo re-

Ddd

lataxx